

minum suorum coram Deo exomologesim habere, imbecillitatem suam plorare, spem in ipsum suam reponere, & quidquid in se boni esset, accepto illi referre. Quis unquam, ait quidam Philosophus, de virtute sua grates Deo egit (1)? Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris venustate, ceterisque exterioribus donis, sed propriae singuli virtutis auctores sumus. *Det vitam, det opes, aequum mihi animum ipse parabo (m)*. En Philosophiae Paganicae indolem: en Philosophorum tumor & superbia. Sapiens ille est, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia (n). Hac de se Stoicus Philosophus: (o). *Sapiens uno minor est Jove*.

1 Cicero. 1. 3. de Nat. Deorum.

m Horat. Epist. 18. 1. 1.

n Paradox. 2. Cicero. o Horat. Epist. 1. 1. 1.

p Vide nostr. Comment. in Matth. 11. 3.

Origenes in suo Commentario in Matth. Hom. 4. asseruerat, S. Joannem Baptistam duos ex Discipulis suis ad Jesum Christum misisse, postulatam, an idem ipse esset, quem tantis votis Judaei expectaverant; quod a sancto viro, ait, non tanquam de veritate ambigente factum est, sed ut majori persuasione veritatem illam posset apud Inferos annunciare (p). In suo vero Commentario in 1. Reg. asserit luculenter, S. Joannem Baptistam ad Inferos descendisse, ut anticipatione quadam Jesum annuncians, eodem simul venturum praediceret. Et in Commentario in Matth. tom. 12. docet, Moysem & Eliam post colloquium cum Jesu Christo in ejus Transfiguratione, pristinas Inferorum sedes repetentes, latum ad suos detulisse nuncium, simulque omnia, quae a Jesu Christo audierant, iis exposuisse, quos tempore Passionis Christi a captivitate redimendos norant. Hanc opinionem, suppresso Authoris nomine, de ridiculo agit S. Chrysostomus; demonstrans, toto quidem vitae hujus spatio merendi sive demerendi facultatem singulis permitti; sed post obitum nemini respiciendi manere potestatem; unicuique enim post obitum pro vitae merito sive praemia restant vel supplicia. Profecto si Jesus Christus ad Inferna praedicanda impijs venisset descendisset, omnibus ad unum persuasisset. Si infidelibus post obitum veniae spes aliqua relicta est, nemo sane novissima saltem die peribit; omnes enim genua coram Judice flectent, parati iudicium omne subire. Intimo quidem criminum suorum dolore tangentur; sed frustra illi, cogentur enim, vel inviti ad lacrymas & ejulatus.

Potro haec S. Chrysostomi momenta eque valent adversus Origenem, ceterosque omnes qui Paganis Philosophis post obitum salutis spem factam in praedicationibus Jesu Christi vel Apostolorum tuentur. Sive enim S. Joannes Baptista, sive Jesus Christus, sive S. Petrus, sive alius quicumque Evangelium illis annunciaverit, aequè tamen impossibile est, aliquem ex iis, qui in Infernis torquebantur, potuisse annunciatum sibi veritatibus non acquievissent; maxime post tolerata tam longa supplicia, quae incredulae perverbiae suae merito subissent, & post exploratam in se veritatem eorum, quae sibi ab Evangelicis illis

Præconibus annuntiarentur, nempe immortalitatis animae, suppliciorum & poenarum alterius vitae: quae quidem hominibus in hac vita degentibus agrè persuaderentur, facile tamen nulloque negotio iis, qui in altera vita tormentis additi sunt, & è mortuis resurgente Jesu, ipsis oculis intuentur. Jam inde ergo à pluribus faculis incolis destituerentur inferna loca, incolis, inquam, ab ipso mundi exordio, illic degentibus, siquidem post obitum illis via respiciendi esse potuisset. Scitè autem observat idem S. Chrysostomus hom. 37. insinuatam à Jesu Christo eam veritatem, nimirum ad exitum usque mundi futuros in Inferno impios Abrahamo pene coevos; praedicit enim Jesus Christus Matth. 11. 21. tolerabilis futurum extremam die iudicium Tyriis, Sidoniis, Sodomæ, & Gomorrhæ, quam Corozaim, Betsaida, & Capharnaum, qui omnem sibi ad salutem adiutur, operumque volentes prudentesque pracluserant.

Cum verò S. Augustinus (q) supra à nobis laudatus docuit, Jesum Christum ad inferna loca, ubi nempe impiorum anima torquebantur, descendisse, atque inde omnes, quoscumque aptos secundum iustitiae suae leges norat, eduxisse, nunquam planè S. Doctori succurrit, Inferni illos fores reclusisse iis, qui nunquam in Deum credidissent, vel speculativam tantum illum nossent cognitionem, qua nec ad cultum Deo praestandum, nec ad referendas gratias inducerentur: alioqui enim ipse sibi S. Doctor, sicut & Apostolo Paulo, adversaretur. Quare illud tantummodo insinuatum est ab illo, inter eos, qui suppliciis detinebantur, supplicii, inquam, quae Purgatorii diceremus, aliquos deprehendisse, qui debitas criminibus suis poenas jam luisent, eosque proinde veluti iam expiatis secum deduxisse, aeternam Beatitudine pro virtutum merito donandos. Hebraei erant imbecilliores, qui nondum ad purum elicta criminum macula ex hac vita decesserant, vel si mavis, Gentiles, qui Deum norant quidem, sed rudiori adhuc fide infirmiores, vel saltem levioribus aspersi criminibus, tormentis alterius vitae cruciabantur.

Significat autem, se, siquidem indulgentioris naturae indolem sequi voluisset, in eam inclinatum sententiam, quae equior esset Philosophis illis, qui Deum nossent, & idololatriam fuissent aversati; retrahi se tamen ab ea opinione, quod constitutis à se principiis repugnaret: *Si omnes omnino dixerimus tunc esse liberatos, qui illio inventi sunt, quis non gratuletur, si hoc possimus ostendere? Praesertim propter quosdam, qui nobis literario labore suo familiariter innotuerunt, quorum eloquium ingeniumque miramur*. Addit deinde, vix fieri posse, ut solentius discussa singulorum vita, purum aliquid à fastu & inanibus gloriolae ambitu deprehendatur: ex quo totum proborum operum meritum ita corumpitur, ut quanto indulgentioris animi indole in salutem Philosophorum ferremur, tanto pariter ab opinione iustitiae divinae retraheremur. *Veruntamen quadam indole animi ita delectant, ut eos, in qua-*

q Augus. 1. 12. de Genes. ad liter. c. 33.

\* Act. 4. 11. 2.

bus haec fuerunt, vellemus vel praecipue, vel cum ceteris ab inferni cruciatibus liberari; nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia Creatoris.

Ad fabellas ex S. Joanne Damasceno laudatas quod attinet, reponimus, 1. Lucubrations talia referentes, viro tanto fidei inscribi, ut Leo Allatius primum, deinde P. le Quien in nova editione Operum S. Joannis Damasceni convincunt. 2. Quando genuina essent opera, certè è minus authenticis monumentis deducta historiola, in Scripta licet S. Damasceni translate, nihilo meliorem obtinent fidem. Opinionem eorum, qui damnatos jam ad inferos Gentiles, ad Fidem, auditis Apostolis concionantibus, traduxerunt, satis jam refutavimus.

Si Tostatus in ea fuit persuasione, Gentiles absque Fide explicita vel implicita in Jesum Christum salutem consequi potuisse, nos virum doctum, scripturae & Patribus repugnancia docentem, non admittimus: ait enim Scriptura (r) de Jesu Christo: *Nec aliud nomen est sub Caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Si verò ille nomine Fidei in unum Deum, qui bona operantibus aqua retribuit, insinuat Fidem salutem implicitam in Jesum Christum, paria sentit nobiscum.

S. Clemens Alexandrinus vix ab omni errore purgaretur in iis, quae de Philosophis Paganis, & praedicatione Jesu Christi, atque Apostolorum apud Inferos scriptis. Illud tamen Authori illi excusando reputandum est, nimirum vitium id fuisse illius atatis, qua non bene discussis earum rerum veritatibus, omnia offuscabantur. Accedebant scripta quadam, opinione quidem authentica, & secundam à saeculis Libris auctoritatem obtinentia, quibus facile credulis illis Patribus impos-

tum est. Ad haec, S. Clemens ita de Philosophia agit, quasi nihil satis commodi de illa sentiret (r): adeo longè abest, ut in pari cum Fide & veritate nostra Religionis gradu illam constituat. Nullam peculiarem Philosophorum sectam probans, damnat universas (t). Quis autem credat, harum, quas reprobat, sectarum Auctores, vel Sectatores aeternae salutis praemio donare illum voluisse? Tandem in Admonitione ad Gentes observat, tenes illos veritatem, seu potius Verbi Divini igniculos, qui Philosophis affluerunt, & veritatis quanta sit vis, & Philosophiae scientiae quanta sit imbecillitas, aperte satis demonstrare; noverint enim licet Philosophi quadam, ad finem tamen sibi intentum venire nunquam valuerunt. Abundè his etiam demonstratur, eos qui sine Verbo veritatis, i. e. Jesu Christo, ad agendum se disponunt, perinde esse, ac si pedibus destituti ad gradiendum admitterentur. Qui de hoc argumento plura voluerit, consulat Librum Gallicum de Necessitate Fidei in Jesum Christum, impressum Parisiis 1701. qui in prima Lucubrationis hujus editione nos latuit.

Ita ergo Dissertationem hanc nostram cogentes statuimus. Paganis, quorum totus erat census speculativa quadam, naturalis, & sterilis Dei, & veritatum moralium cognitio, nullo Fidei saltem implicita in Messiam, & humani generis Reparatorem, ac supernaturalis gratiae radio illustrati, nullo charitatis igniculo foci, ad Regnum Caelorum obtinendum nunquam evadere valuerunt. Haec Apostoli Pauli mens, docentis, Philosophos illos, qui Deum norant, cum debitam illi gloriam denegassent, nullam criminis sui causationem coram Deo obtendere potuisse.

s Clem. Alex. 1. 1. pag. 203. 204. 234.

t Strom. 1. 1. pag. 211. & 218.

IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS PROLEGOMENON.

Corinthus Achajae celeberrima, & opulentissima Civitas, cui ipsa sui loci inter Aegaeum ad Orientem, & mare Jonium ad Occasum constitutio, ad negotiationis commodum, & ad opum incrementum quam maxime contulit, superbiae, epulis, voluptati, & ceteris, quae commercium & divitiarum copiam comitantur, vitiis se ita dederat, ut cultui, & religioni impudicitia haberetur; meretrices enim adhiberi ad publicas preces canendas consueverant, Venerique à quibusdam dicantur recens prostituta, quarum copia erat, ut proverbio nomen effecerit.

Anno circiter Christi 52. Apostolus Corinthum profectus, Servatoris multum in ea Urbe sibi populum selegisse testantis visione confirmatus (a), duodeviginti menses ibidem egit, quibus & Judaeorum & Ethnicorum plurimos Deo quidem peperit, sed plures etiam calamitates exhaustit; ab Judaeis (b) praesertim agrè ferentibus, quod Evangelium Ethnicis annunciat. Quare incredulos obstinationi suae reliquit, eisdemque discedens, vestibus prius excussis, ita est minitatus (b): *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam*.

Corintho Paulus Ephesum venit, ubi tribus annis concionandi muneri incubuit.

a Act. 18. 10.

b Vid. 1. Thes. 1. 37. & 2. Cor. 11. 9. & 1. Cor. 2. 3. c Act. 18. 6.

